

# **Documentos inéditos sobre la unión al convento agustino de Epila de la Rectoría de Salillas (1588-1709)**

Por  
MANUEL BARRUECO SALVADOR, OSA

## INTRODUCCION

Se editan a continuación once documentos relacionados con la unión de la rectoría de Salillas y de su anexo de Berbedel al convento agustino de Epila, obtenida del papa Sixto V en 1588 por el duque de Aranda, fundador y munífico bienhechor de dicho convento, con el fin de aumentar los recursos económicos destinados a aquella casa, donde los agustinos realizaban una meritoria labor docente en las disciplinas de artes y teología y de evangelización entre la población morisca de los contornos.

Esta documentación, que viene a ampliar nuestros conocimientos sobre la historia de este convento a la luz de otros documentos publicados en esta misma revista (cfr. *Archivo Agustino* 72 [1988] 75-126; 73 [1989] 369-389 y 77 [1993] 137-157], comprende algunas piezas significativas dentro del arco temporal 1588-1709: el breve de renuncia del titular de entonces de la rectoría, D. Miguel Esporrín (doc. I); el de nombramiento -que más tarde sería impugnado y anulado- de su sucesor D. Miguel López (doc. II); la toma de posesión por parte de los agustinos del patronazgo de dicha rectoría (doc. III), dentro de cuyo contexto está copiada literalmente la bula del mismo papa para la unión e incorporación de la rectoría al convento de los agusti-

nos; las actas de algunos capítulos locales del convento de Epila, uno sobre la paga de una deuda contraída con el presbítero Domingo García (doc. IV) y otros para la presentación a dicha rectoría de los clérigos José Pascual (doc. V), Diego Agustín Gil (doc. VIII), de nuevo José Pascual (doc. IX) y Salvador Pallás (doc. XI). A ellos se añade alguna pieza menor, como el memorial exhibido para la presentación de José Pascual y la aceptación de la misma (doc. VI, VII y X).

Esta documentación sirve para ilustrar de primera mano un aspecto concreto de la historia del convento de Epila, del que no hace mención el historiador Jaime Jordán en las pocas páginas de su obra dedicadas a este convento (cfr. J. JORDAN, *Historia de la provincia agustinaiana de la Corona de Aragón de la Orden de San Agustín*, vol. III, Valencia 1712, pp. 193-196).

De la colaboración de los agustinos de Epila con el clero secular de Salillas y sus sustituciones con ocasión de vacantes por muerte o promoción de los rectores titulares hay datos precisos en los libros de aquella parroquia hasta la segunda parte del siglo XVIII. De ello se podrá tratar con mayor atención y detalle en otra ocasión.

## DOCUMENTOS

### DOCUMENTO I

*Breve del Papa Sixto V dirigido al presbítero Miguel Esporrín aceptando la resignación de la rectoría de Salillas para agregarla al convento de los agustinos de Epila*

Roma, 5 de junio de 1588

Syxtus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Michaeli Sporrin, nuper rectori parochialis ecclesiae oppidi de Salillas, Caesaraugustanae dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt ut illa tibi favorabiliter concedamus, quae tuis commoditatibus fore conspiciamus opportuna.

Cum itaque eandem tu parochialem ecclesiam oppidi de Salillas, Caesaraugustanae dioecesis, quam tunc obtinebas, manibus nostris sponte et

libere resignaveris, nosque resignationem huiusmodi admittentes, ab ecclesia praedicta et de Belbedel, olim Toncemich nuncupati, ac aliis illi forsam annexibus, omnia et singula bona stabilia et proprietates, iura, actiones, pertinentias, necnon fructus, redditus et poventus, ac obventiones et emolumenta quaecumque demptis et remanentibus pro rectore dictae ecclesiae pro tempore existente annuis centum scutis, ad rationem decem regalium monetae illarum partium pro quolibet scuto huiusmodi, perpetuo dismembrari et separari, illaque postquam dismembrata et separata forent, domui Sancti Sebastiani, Ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini, dictae dioecesis, etiam perpetuo per quasdam applicari et appropriari, et ecclesiam praedictam per resignationem eamdem apud Sedem Apostolicam tunc vacantem et antea dispositioni apostolicae reservatam, dilecto filio Michaeli López, clerico Caesaraugustano, per alias nostras litteras sub certis modo et forma tunc expressis conferri et assignari mandaverimus, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur.

Nos tibi, ne ex resignatione huiusmodi nimium dispendium patiaris, de alicuius subventionis auxilio providere ac, praemissorum meritorum tuorum intuitu, specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et penis a iure et ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, tibi pensionem annuam ab omni decima quarta media fructuum parte, subsidio etiam charitativo ac alio quocumque tam ordinario quam extraordinario onere ac subventionem Sedis Apostolicae et alia quaecumque impositione quantumcumque inexcogitabili aut urgentissima causa, etiam pro expeditione et bello contra infideles, vel fabrica basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Cruciata Sancta, etiam intuitu et contemplatione imperatoris, regum, reginarum, principum aut illis favorem concessis et concedendis vel alias quomodocumque et qualitercumque impositis et imponendis, etiam pro subventionem triremum necnon concessionis decimae unius domus, excusatae nuncupatae, etiam si in impositionibus huiusmodi expresse caveatur quod pensionarii pensiones suas quantumcumque liberas habentes pro rata contribuere debeant et teneantur, etiam ratione pestis, grandinis, alluvionis, inundationis, fructuum non recollectionis aut cuiuscumque alterius inexcogitabilis fortuitu inopinati et insoliti evenire casus, liberam, immunem et exemptam ducentorum scutorum similium, ad dictam rationem decem regalium monetae pro quolibet scutorum huiusmodi, super dictae ecclesiae fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, praedictae domui applicari mandatis, tibi quoad vixeris vel procuratori tuo ad hoc a te speciale manda-

tum habenti per dilectos filios modernos, quorum ad id expressus accedit assensus, et alios pro tempore existentes dictae domus priorem et fratres, annis singulis, pro una videlicet in Sancti Ioannis Baptistae et altera medieta-tibus pensionis huiusmodi in Domini nostri Iesu Christi nativitatis festivitati-bus, in civitate Caesaraugustana, etiam praesentibus dictis priori et fratribus qui illas etiam ex nunc pro sibi legitime intimatis habere volunt et intendunt ac habent et illarum intimationi expresse renuntiant, minime intimantes, illa-rum tamen vigore nec antea alias prius reservatis nulla sit eo ipso integre persolvendam, apostolica auctoritate tenore praesentium reservamus, consti-tutum et assignamus.

Decernentes modernos et pro tempore existentes dictae domus priorem et fratres praedictos ad integram solutionem pensionis ducentorum scutorum huiusmodi tibi faciendam, iuxta reservationis et assignationis praedictarum continentiam et tenorem, fore efficaciter obligatos ac volentes, et eadem auctoritate statuentes quod ille ex modernis vel pro tempore existentibus priore et fratribus praedictis qui in dictis festivitibus vel saltem infra trigin-ta dies illarum singulas immediate sequentes pensionem huiusmodi tibi tunc debitam non persolventes cum effectum, lapsis diebus eisdem, sententiam excommunicationis incurrant, a qua donec tibi vel eidem procuratori tuo de pensione huiusmodi tunc debita integre satisfactum aut alias tecum vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constitutis nemo ipsorum absolutionis beneficium nequeat obtinere.

Si vero per sex menses, dictos triginta dies immediate sequentes, senten-tiam ipsam animo, quod absit, sustinuerint indurato, ex tunc effluxis mensi-bus eisdem applicatio et appropriatio praedictae si illas fieri contingat, nullae sint eo ipso.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac domus et Ordinis praedictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si priori et fratribus praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divi-sim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod ad praestationem vel solutionem pensionis alicuius minime tenentur et ad id compelli non possint per litte-ras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dictae Sedis indulgentia gene-rali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter insertam, effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, reservationis, constitutionis, assignationis, decreti, voluntatis et statuti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, Nonis Iunii, pontificatus nostri anno quarto.

Anno Incarnationis dominicae M.D.LXXX.VIII, die XXVIII Iulii, retrospecti Michael ac prior et fratres capitulariter congregati per Petrum de Araus, procuratorem eorum, resignationi ac pensionis assignationi et litterarum expeditioni consenserunt.

Pro Parinde Doria Io. Baptista Zianus. Registrata.

Extracta fuit praesens huiusmodi copia a suis originalibus litteris apostolicis sive bullis plumbeis, cum quibus facta collatione concordat de verbo ad verbum, per me Antonium Ximénez de Yagues, notarium.

ZARAGOZA, *Archivo diocesano*, Beneficios: Salillas.

## DOCUMENTO II

*Breve del Papa Sixto V al Oficial de la diócesis de Zaragoza encomendándole la entrega de la rectoría de Salillas al clérigo Miguel López*

Roma, 5 de junio de 1588

Syxtus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Officiali Caesaraugustano salutem et apostolicam benedictionem.

Dignum arbitramur et congruum ut illis se reddat Sedes Apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur.

Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura apud Sedem eandem vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter ven ignoranter, contigerit attentari.

Cum itaque postmodum parrochialis ecclesia oppidi de Salillas, Caesaraugustanae dioecesis, per liberam resignationem dilecti filii Machaelis Sporin, nuper dictae ecclesiae rectoris, de illa quam tunc obtinebat in manibus

nostris sponte factam et per nos admissam apud Sedem eandem vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de illa praeter nos hac vice disponere poterit sive possit reservatione et decreto obsistentibus supradictis, nos, qui hodie a dicta ecclesia et de Belbedel, olim Tincenich nuncupati, ac aliis illi forsam annexis omnia et singula bona stabilia, proprietates, iura, actiones, pertinentias necnon fructus, redditus et proventus ac obventiones et emolumenta quaecumque, demptis et remanentibus pro rectore dictae ecclesiae pro tempore existenti annuis centum scutis monetae illarum partium, ad rationem decem regalium eiusdem monetae pro quolibet scuto huiusmodi, perpetuo dismembrari et separari illaque, postquam dismembrata et separata forent, domui Sancti Sebastiani, Ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini oppidi de Epila, dictae dioecesis, perpetuo per alias nostras litteras applicari et appropriari mandavimus, prout in litteris praedictis plenius continetur.

Volentes dilectum filium Michaelem López, clericum CaesarAugustanae dioecesis, asserentem primodictum Michaelem dictam ecclesiam a sex annis et ultra obtinuisse, apud nos de vitae ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso ipsumque Michaelem López a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris et penis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistat, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, mandamus, ut si tibi constiterit quod primodictus Michael, si in sacris ordinibus constitutus exsistat, aliunde commode vivere possit, ac per diligentem examinationem per te adhibitis examineribus ad hoc a concilio Tridentino designatis, si istic sunt, uti esse debent, in synodo diocesana deputati, sin autem absque illis faciendam, dictum Michaelem López ad hoc idoneum esse repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, ecclesiam praedictam, cuius et illi annexorum eorundem fructus, redditus et proventus, postquam dismembratio et separatio huiusmodi factae fuerint, remansuri centum ducatorum auri de camera, secundum communem aestimationem valorem annum ut etiam asseris non excedunt, sive praemisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona seu per similem resignationem primodicti Michaelis vel cuiusvis alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicitis recordationis Ioannis Papae XXII, praedecessoris nostri, quae incipit: Execrabilis, vel executionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, dictaque ecclesia dispositioni apostolicae specialiter vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos

lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, cum annexis huiusmodi ac omnibus iuribus et pertinentiis suis dicto Michaeli López, quibuscumque aliis sese ad examen praedictum etiam per mutuuum concursum admitti et sibi de dicta ecclesia provideri petentibus penitus exclusis, infra triginta dies postquam praesentes litterae tibi praesentatae fuerint auctoritate nostra conferas et assignes; inducens per te vel alium seu alios dictum Michaellem López vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem ecclesiae ac annexorum, iuriumque et pertinentiarum praedictorum, et deffendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens dicto Michaeli López de ecclesiis et annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores eadem auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum. Quibus omnibus dictum Michaellem López in assecutione dictae ecclesiae volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum praeiudicium generari, seu si venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Caesaraugustano vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quaelibet alia dictae Sedis indulgentia generali et speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Ceterum ne dum prodesse studemus aliqua forte irrepat iniquitas in exitium animarum, attente istic circumspectas an ex parte utriusque Michaelis praedictorum super dicta resignatione ut fieret, quam nos nullo hucusque vitio laborare deprehendimus, intercesserit simoniae labes aut aliqua alia illicita pactio vel etiam corruptela. Nos enim, prout est, irritum decernimus et inane si secus super his a quoque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsam est hactenus vel in posterum contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, Nonis Iunii, pontificatus nostri anno quarto. Ex.pta VIII Kalendas Decembris anno IIII.

Anno incarnationis dominicae M.CCCCC.LXXX.VIII, die XXVIII Iulii, retroscriptus Michael per Petrum de Araus, procuratorem suum, resignationi et litterarum expeditioni consensit. Pro Paride Doria Ioannes Baptista Zianus. Registrata.

ZARAGOZA, *Archivo diocesano*: Beneficios: Salillas.

### DOCUMENTO III

*Toma de posesión de la rectoría de Salillas por parte de los agustinos y breve (dentro del texto) de unión de la misma al convento de Epila*

Salillas, 24 de marzo de 1589

In Dei nomine, amen.

Noverint universi quod anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo nono, die vero quae computabatur vigesimo quarto mensis Martii, in loco de Salillas, Caesaraugustensis dioecesis, et ante ianuas ecclesiae parochialis dicti loci de Salillas dicti loci (*sic*), sub invocatione Sancti Martini, coram Reverendo Domino Ioanne Rubio, presbytero beneficiato in ecclesia parochiali Beatae Mariae villae de Epila, comparuit personaliter constitutus Reverendus Frater Thomas de Albero, monachus (!) professus domus sive monasterii Sancti Sebastiani, Ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini, dictae villae de Epila, videlicet et tamquam procurator legitimus admodum reverendorum prioris et fratrum capituli et conventus dictae domus sive monasterii Sancti Sebastiani dictae villae de Epila, constitutus instrumento publico procurationis mediante, facto in dicta villa de Epila die praesenti et infrascripto, et per me Ioannem Gutiérrez, notarium, praesens instrumentum testificantem, receptum et testificatum, habens in eodem plenum posse ad infrascripta peragendum, prout mihi dicto et infrascripto notario legitime constitit et constat.

Qui quidem frater Thomas de Albero dicto procuratorio nomine, praesentibus me dicto notario et testibus infrascriptis, quasdam dicto Ioanni Rubio beneficiato praedicto praesentavit litteras dismembrationis et separationis omnium et singulorum bonorum stabilium, proprietatum, iurium et

actionum rectoriae dicti loci de Salillas et eius annexi de Berbedel, olim Tricenich, necnon illorum fructuum, reddituum, proventuum, obventionum et emolumentorum quorumcumque, et perpetuae applicationis et appropriationis eorundem dictae domui sive monasterio Sancti Sebastiani dictae villae de Epila, per illustrem dominum licentiatum Ilephonsum Gregorium, in spiritualibus et temporalibus vicarium generalem et officialem ecclesiasticum civitatis et dioecesis Caesaraugustanae pro Illmo. et Revmo. Domino Dno. Andrea de Bobadilla, Dei et Apostolicae Sedis archiepiscopo Caesaraugustano, tamquam iudicem et commissarium apostolicum a Sanctissimo Domino nostro Syxto Papa Quinto nominatum et deputatum, concessas, huiusmodi sub tenore:

Licentiatum Ilephonsus Gregorio, in spiritualibus et temporalibus vicarius generalis ac officialis ecclesiasticus civitatis et dioecesis Caesaraugustanae pro Domino Andrea de Bobadilla, Dei et Apostolicae Sedis gratia archiepiscopo Caesaraugustano regioque consiliario etc., necnon iudex et commissarius apostolicus ad infrascripta auctoritate apostolica latus, creatus et specialiter deputatus, universis et singulis prioribus, rectoribus, vicariis, ceterisque presbyteris et clericis, notariis et tabellionibus publicis quibuscumque per dictam civitatem et dioecesim Caesaraugustanam ac alias ubilibet constitutis, vel illis cui vel quibus praesentes nostrae litterae pervenerint seu quomodolibet praesentatae fuerint et vestrum cuilibet in solidum, salutem in Domino, praesentibusque fidem indubiam adhibere et nostris huiusmodi, imo verius, apostolicis firmiter obedire mandatis.

Litteras apostolicas Sanctissimi in Christo Patris et Domini domini Syxti, divina providentia Papae Quinti, de et super dismembratione, suppressione et applicatione omnium et singulorum bonorum stabilium et proprietatum ac iurium, actionum et pertinentiarum parochialis ecclesiae loci de Salillas et illi annexi de Berbedel, olim Tricenich, dictae Caesaraugustanae dioecesis, necnon illorum fructuum, reddituum, proventuum, obventionum et emolumentorum quorumcumque domui Sancti Sebastiani villae de Epila, Ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini, dictae Caesaraugustanae dioecesis, eius vera bulla plumbea impendentium (*sigillorum*) bullata et plumbata more Romanae Curiae, expeditas, sanas et illessas omnique prorsus vicio et suspicione carentes, ut in earum prima facie apparebat, nobisque per procuratorem legitimum prioris et fratrum dictae domus Sancti Sebastiani praedictae villae de Epila, peraedicti Ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini, memoratae Caesaraugustanae dioecesis, praesentatas, et pro nobis ea qua debent reverentia receptas fuisse noveritis, huiusmodi sub tenore:

Syxtus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Officiali Caesaraugustano salutem et apostolicam benedictionem.

Pastoralis officii cura, a nullis nostris meritis sed benignitate divina nobis demandata, exposcit ut illa per quae domorum regularium quarumcumque, et praecipue illarum in quibus religiosae personae Altissimo famulantes, litterarum studiis ac verbi Dei praedicationi in christifidelium utilitatem ac fructum vacare et asidue non sine evidenti divini cultus incremento insistere dignoscuntur, subventioni omniumque eis incumbentium supportationi provide consulatur prompto studio concedamus, ac ea prout expedire cognosceamus in Domino favoribus prosequamur oportunis.

Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura apud sedem Apostolicam tunc vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quoquo, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cum itaque postmodum *parrochialis* (ecclesia) *oppidi de Salillas, Caesaraugustanae dioecesis, per liberam resignationem dicti filii Michaelis Sporrin, nuper dictae ecclesiae rectoris*, de illa quam tunc obtinebat in manibus nostris sponte factam et per nos admissam apud Sedem praefatam, vacaverit et vacet at praesens, nullusque de illa praeter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus.

Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prioris et canonicorum (!) et fratrum domus Sancti Sebastiani, Ordinis fratrum Heremitarum Sancti Sebastiani (= *Augustini*), dictae dioecesis, petito continebat, prope et extra muros oppidi de Epila, dictae dioecesis, praedicta domus, ex cuius fenestris primo dictum oppidum inde per unam laucam vel circa tantum distans prospicitur, et in qua domo artes liberales ac theologia non sine magno fructu asidue leguntur, noviter constructa et erecta existat, ac in secundo dicto oppido non parvus habitatorum seu incolarum numerus adsit, quibus domus eiusdem fratres praedicti, tam propter eorum vitam exemplarem, quam etiam singularem et sanam doctrinam in praedicationibus verbi Dei peragendis et confessionibus audiendis utilissimi sunt, primo vero dictum oppidum in medio nonnullorum locorum, in quibus mauri ad fidem noviter conversi habitant, situm sit, sed fratres in dicta domo habitantes congruum se sustentandi modum non habeant si (= *nisi*) a dicta ecclesia ac illi annexis omnia et singula bona stabilia, proprietates, obventiones et emolumenta quaecumque, *demptis et remanentibus centum scudis annuis, ad rationem decem regalium monetae illarum partium, ultra pedem altaris, pro rectore dictae ecclesiae illam pro tempore quomodolibet obtinente* perpetuo dismembrarentur et sepa(ra)rentur, illaque sic dismembrata et separata dictae domui etiam perpetuo applicarentur et appropriarentur, ex hoc profecto subventioni, commoditati et utilitati eiusdem domus et fratrum praefatorum

oportune consuleretur, ipsique fratres hac fructuum accessione suffulti melius et commodius praedicationi evangelii et confessionibus christifidelium audiendis, necnon studii theologiae ad populi aedificationem et animarum salutem intendere, ac etiam in secundo dicto oppido verbum Dei huiusmodi praedicare possent.

Quare pro parte prioris et fratrum praefatorum, asserentium dictae ecclesiae ac de Berbedel, olim Tricenit nuncupati, et forsam aliorum illi annexorum fructuum, reddituum ac proventuum trecentorum et quinquaginta ducatorum auri de Camara, secundum aestimationem communem valorem annum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus in praemissis annuere et alias desuper oportune providere benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annum valorem secundum aestimationem praedictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio ipsa non valeret, quique etiam hodie ecclesiam praefatam sic vacantem et antea dispositioni apostolicae reservatam, dilecto filio Michaeli López, clerico Caesaraugustanae dioecesis, per alias nostras litteras sub certis modo et forma tunc expressis conferri et assignari mandavimus, prout in ipsis litteris plenius continetur, quique christifidelium votis, praesertim religionis, conservationem et animarum salutem concernentibus, libenter annuimus, priorem et fratres praefatos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et paemissis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa lata, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censes, necnon praefatae domus fructuum, reddituum et proventuum verum annum valorem, ac quorumcumque aliorum applicationem, appropriationem, unionem annexorum, incorporatione vel concessionem et assignationem eidem domui hactenus quomodolibet factarum, tenore praesentibus expressis habentes, ac certam de praemissis notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretionis tuae per apostolica scripta mandamus quatenus, verificatis prius coram te praemissis narratis, alias praesens gratia nulla sit, a dicta ecclesia sive praemisso sive aliquo modo aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per similem resignationem dicti Michaelis, vel cuiusvis alterius, de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicitis recordationis Ioannis Papae XXII, praedecessoris nostri, quae incipit: Execrabilis, vel asecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vecaverit quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem praefatam legitime

devoluta, ipsaque ecclesia dispositioni apostolicae speciali vel alias generali reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum praesentibus habere volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, et ab eiusdem ecclesiae annexis praefatis *omnia et singula bona stabilia et proprietates ac iura*, actiones et pertinentias, necnon illorum fructus, redditus, proventus, obventiones et emolumenta quaecumque dispositione, remanentibus pro rectore dictae ecclesiae illam pro tempore quomodolibet obtinente *centum scutis annuis* monetae illarum partium, ad rationem decem regalium eiusdem monetae pro quolibet scuto huiusmodi, liberis in tot bonis stabilibus arbitrio tuo eligendis, praeter incerta omnia ac pedem altaris, seu emolumenta pedis altaris nuncupata, dummodo dicti Michaelis López ad hoc expressum accedat assensum, auctoritate nostra perpetuo *dismembres et separe*s.

Illaque, postquam a te sic dismembrata et separata fuerint, dictae domui, ita quod liceat praefatis ac aliis pro tempore existentibus eiusdem domus priori et fratribus per se vel alium seu alios eorum et dictae domus nomine corporalem, realem et actuaalem possessionem omnium et singulorum bonorum stabilium ac iurium, actionum et pertinentiarum, necnon illorum fructuum, reddituum, proventuum et obventionum et emolumentorum quorumcumque praedictorum propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, ac fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi percipere, colligere, levare, exigere, recipere, recuperare, arrendare, locare et dilocare, ac in suos et domus praedictae communes usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia minime quaesita, eadem auctoritate nostra etiam perpetuo *applies et appropries*, ac praesentes litteras e illarum vigore faciendas *dismembrationem, separationem et appropriationem* huiusmodi, postquam factae fuerint, de subreptionis et obreptionis aut nullitatis vicio seu intentionis nostrae, aut quocumque alio defectu notari vel impugnanri aut alias quomodolibet infringi seu retractari, vel etiam per nos vel successores nostros, Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut Sedem praefatam vel illius legatos etiam de latere, aut ipsum ordinarium vel quorumcumque aliorum quavis auctoritate quomodolibet revocari, suspendi, restringi, limitari vel eis in aliquo derogari nullatenus umquam posse, sed tempore ac perpetuo validas et efficaces existere suisque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter perpetuo servari debere, dictosque et pro tempore existentes priorem et fratres super praemissis et eorum quilibet per quoscumque, quavis etiam apostolica praefata vel ordinaria auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari vel impediri non posse nec debere.

Sicque in praemissis omnibus, et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos et causarum palatii apostolici auditores, Sanctae Romanae ecclesiae Cardinales et de latere legatos, sublata eis et quorumlibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere decernas.

Non obstante priore voluntate nostra praefata ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure praemissis fieri prohibentis, necnon piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, et aliis apostolicis ac etiam in universalibus et provincialibus ac synodalibus conciliis decretis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon domus et Ordinis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et constitutionibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, Nonis Iunii, pontificatus nostri anno quarto.

Anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, hodie XXVIII Iulii, retrospecti Michael Sporrin et Michael López per Petrum Araux, eorum procuratorem, resignationi et appropriationi ac litterarum expeditioni respective consenserunt. Pro Paride Doria Ioannes Baptista Zianus. Registrata.

Postquam quidem litterarum apostolicarum praesentationem, correptionem nobis et per nos, ut praemittitur facta, inductis, examinatis per nos seu ex commissione nostra, medio iuramento, nonnullis fide dignis testibus pro illarum verificatione et constitutionibus per informationem eandem quantum sufficere visum fuit, quod preces in eisdem apostolicis litteris continere veritate nituntur, auctoritate apostolica nobis commissa et qua in hac parte fungimur, a dicta parrochiali ecclesia oppidi de Salillas et eius annexis, omnia et singula bona stabilia, proprietates ac iura, actiones et pertinentias necnon illorum fructus, redditus, proventus, obventiones et emolumenta quaecumque dismembravimus et separavimus et ad dictum monasterium perpetuo applica(vi)mus et appropria(vi)mus et applicamus et appropriamus, iuxta formam et tenorem (*litterarum*) apostolicarum desuper insertarum, demptis tantum et remanentibus centum scutis pro rectore dictae ecclesiae qui pro tempore erit, quotannis solvendis in fructibus dezmalibus, in mense Septembris, ad rationem pretii tunc currentis, et omnibus incertis ac pede altaris, sive emolumentis pedis altaris nuncupatis, non obstante quae idem Sanctissimus Dominus noster Papa in eisdem apostolicis litteris voluit non obstare, prout haec et alia per tenorem processus coram nobis habiti et actitati latius constant et apparent.

Quae omnia et singula supradicta vobis supradictis, quibus praesentes nostrae litterae diriguntur, et unicuilibet in solidum intimamus et notificamus et ad vestram et cuiuslibet vestrum notitiam deducimus et deduci volumus indubiam. In eamque sic intimando vobis dicimus et in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis poena auctoritate apostolica supradicta mandamus, quatenus si et postquam tenore praesentium pro parte dictorum prioris et fratrum et conventus dictae domus et monasterii Sancti Sebastiani praefatae villae de Epila fueritis requisiti seu alter vestrum requisitus fuerit, dictos priorem, fratres et conventum vel eorum procuratorem legitimimum pro eis et eius nomine in veram, realem, actualem et corporalem possessionem omnium et singulorum bonorum stabilium et proprietatum ac iurium et actionum et pertinentiarum praedictae ecclesiae praefati oppidi de Salillas, et illius proventuum, obventionum et emolumentorum quorumcumque, auctoritate apostolica per nos, ut praedicitur, dismembratorum et eidem domui Sancti Sebastiani perpetuo applicatorum, pro nobis et nomine nostro ponatis et inducatis, positosque et inductos manuteneatis et deffendatis, ita quod liceat eisdem priori et fratribus et conventui dicta omnia et singula bona stabilia et proprietates ac iura et actiones et pertinentias praedictae ecclesiae praedicti oppidi de Salillas et illi annexi de Berbedel, olim Tricenic, necnon illorum fructus, redditus, proventus, obventiones et emolumenta quaecumque per nos auctoritate apostolica a dicta ecclesia diosmabrata libere percipere, colligere, levare, exigere, recipere et recuperare, arrandare et locare ac in suos et dicti conventus usus et utilitatem convertere, et dicta gratia apostolica iuxta illius concessionem uti, frui et gaudere, non permittentes eos super praemissis per quempiam indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles auctoritate apostolica supradicta per censuras et poenas ecclesiasticas et alia debita iuris remedia, appellatione posposita, rigide compescendo.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes nostras litteras, manu nostra firmatas, sigilo dicti archiepiscopi sigillatas, et ab infrascripto nostro notario publico referendatas fieri et expediri iussimus et mandavimus.

Datum in dicta civitate Caesaraugustana, die vigesima prima mensis Martii, anni computati nativitatis Domini nostri Iesu Christi millesimi quingentissimi octuagesimi noni, praesentibus ibidem pro testibus ad praemissa vocatis, rogatis pariterque assumptis licentiate Gaspare Arias de Reynosso, archipresbytero Belchitense in metropolitana ecclesia sedis Caesaraugustanae ac officiali ecclesiastico et iudice piarum causarum, dezmarum primitiarum dictae civitatis et dioecesis Caesaraugustanae, et Barnaba Lancaman de

Sola, notario publico et de numero dictae civitatis, in eadem civitate domiciliatis.

Sigi. VIII ap. exp. tae XVI.

Licentiatus A. Gregorio de dicti licentiati Ieiphonsi Gregorii vicarii generalis, officialis iudicis ac commissarii apostolici praedicti, mandato. Antonius Ximénez de Vagues, notarius.

Sanas siquidem et integras, non viciatas, non cancellatas nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vicio et suspicione carentes, prout in earum prima facie apparebat, illas et earum alteram Revdo. viro Domino Ioanne Rubio, presbytero beneficiato in parochiali ecclesia villae de Epila, ibidem praesenti praesentavit et intimavit eumque in et subexequutorem elegit et deputavit. Et non recedendo dictus procurator nomine suorum principalium quatenus eum requisivit virtute dictarum litterarum in possessionem veram, realem, corporalem et actualem dictae rectoriae in dictis litteris contentae desuper mentionatae, fructuum, iurium, reddituumque universorum ipsius poneret et induceret, iuxta dictas litteras et alterius earum seriem et tenorem alias protestatus fuit contra dictum Ioannem Rubio, subexequutorem praefatum, de poenis et censuris in dictis litteris contentis et de omnibus aliis sibi licitis et honestis protestando.

Qui quidem dictus Ioannes Rubio, subexequutor praefatus, in dictis protestationibus non consentiendo, tamquam verus obedientiae filius, receptis ante omnia dictis litteris cum illis honore et reverentia quibus decet, dictum Thomam de Albero, nomine dictorum suorum principalium, coepit de manu eius dextera, quem in veram, corporalem, realem, actualem et pacificam possessionem dictae rectoriae fructuum, iurium, reddituum et pertinentiarum universorum eiusdem per aperitionem et clausionem ianuarum ipsius ecclesiae, introitum et accessum ad altare maius dictae ecclesiae, aperitionem et clausionem libri missalis dicti altaris, in quo legit orationem quamdam incipientem "Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine", etc., et ascensum in chorum dictae ecclesiae, in quo sedit sede qua praedecessores suorum principalium sedere consueverunt, et accessum ad fagistorium, in quo insouit verba sequentia: "Iuravit Dominus et non poenitebit eum" etc.; ceterisque aliis solemnitatibus adhibitis in talibus et similibus observari consuetis, nemine contradicente, imo pacifice et quiete, prout ego dictus notarius et testes infrascripti oculariter vidimus, posuit et induxit.

De et super quibus omnibus et singulis antedictis tam dictus frater Thomas Albero, nomine procuratorio quo supra, ad iuris suorum principalium et illorum quorum interest, intererit, interesse poterit quomodolibet in futurum, conservationem quam dictus subexequutor ad sui officii exonerationem requisierunt et alter eorum requisivit, per me dictum notarium, publicum seu

publica, unum vel plura, fieri, confici et tradi instrumentum et instrumenta, et tot quot inde sint et fuerint necessaria et haberi requisita.

Quod fuit actum die, mense, anno et loco qui legitur supra, in principio positis et kalendatis, praesentibus ibidem pro testibus Ioanne Jus et Domingo Martín, dicti loci de Salillas habitatoribus, ad praedicta vocatis, rogatis pariter et assumptis.

Signum mei Petri Hieronymi de Falces, infantionis, villae de Epila habitatoris, auctoritate regia per Aragonum regnum publici notarii, qui praesentem actum possessionis rectoriae loci de Salillas a notulis seu scriptis per quondam Ioannem Gutiérrez, notarium, vicinum villae de Epila, receptis et testificatis, quae mihi dicto Petro Hieronymo de Falces, notario, instante herede earum, per dominum iudicem ordinarium villae de Epila, fuerunt commissa et foridice provissa, et commissarius et detentor earum in praesenti forma publica extraxi et cum sua originali nota bene et fideliter comprobavi.

In quorum fidem et testimonium meo solito signo signavi, rogatus et requisitus.

*(Nota marginal en el primer folio: Yo Sebastián Terrón recibí todos los originales por mí echos en este processo en Zaragoza a 22 de agosto de 1633.*

ZARAGOZA, *Archivo diocesano*, Beneficios: *Salillas*, cuadernillo del año 1633 (copia).

#### DOCUMENTO IV

*Acta del capítulo local del convento de Epila para el pago de una deuda contrída con el clérigo D. Domingo García por la rectoría de Salillas*

Epila, 21 de enero de 1618

Die vigesimo primo mensis Ianuarii, anno M.DC.XVIII, in villa de Epila.

Eodem die... que llamado, convocado, congregado y ajuntado el reverendo capítulo de los muy reverendos prior, frailes y convento del señor San Sebastián de la villa de Epila, de la Orden y observancia del señor San Agustín, en el *De profundis* de dicho convento, por convocación y llamamiento particular para esto ffecho por el muy reverendo el maestro Fray Alonso

Chauz, prior de dicho convento. El qual tal ffe y relación fizó a mí, el notario público infrascripto, el haber llamado y convocado el dicho capítulo y Padres de aquél para la hora y lugar presentes et infrascriptos.

